



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

V. Verbum. Expectare expectanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

meritum, & de virtute, in virtutem
crescatur, quo in Beatâ Æternitate,
eò gloriosius & beatus vivatur, quò
Deus, & proximus in Deo amato ar-
dentius diligitur.

V. VERBUM.

Expectare expectanda.


BEati, qui sic timent à judiciis
Dei, ut quotidie ad gloriosum
omnium Judicis adventum, se
præparantes: diligant & expectent
illum venientem, cum potestate ma-
gnâ & majestate. Omnes Christi mili-
tes, qui in Christum JESUM credi-
derunt, in ipso renati sunt: magno
ejus Sacramento, cibo grandium, ro-
borati sunt, nomen ejus invocaverunt,
peccatum odio habuerunt, divinae ejus
mandata servaverunt, & legitimè cer-
taverunt: quid aliud desiderare, &
expectare ab optimo, & potentissimo
remuneratore possunt, nisi coronam
illam justitiæ consummatæ, quam red-
det in illa die justus Judex, omnibus
qui diligunt adventum ejus gloriosum?

T 2

Tria igitur quotidie expectare debent magnanimi milites Christi: qui per arma lucis, præliantur prælium Domini, cum lætitia, dilectione, & sancto timore vigilantes, orantes, perseverantes in certamine: videlicet prætiosam mortem in conspectu Domini: gloriosam Resurrectionem, in die iudicii, possessionem æternam à dextris Imperatoris sui post elogium illud magnificum, ex ore Altissimi: Venite milites mei magnanimi, vos estis qui permanistis mecum in tentationibus, in laboribus, in periculis, in præliis meis, usque in finem: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: vicistis malignum, gratiam meam in vacuum non accepistis, bonum certamen certastis, cursum consummastis, fidem servastis, Evangelium meum non erubuistis, crucem vestram quotidie portastis, me Regem & Salvatorem vestrum, per arctam viam secuti estis; coram hominibus meum nomen confessi estis, fortiter in Bello contra inimicos meos dimicastis, de omnibus, me adjuvante triumphastis, venite

ergo amici mei, sedete mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus, vos estis regnum meum, & corona gloriæ meæ, manete mecum in regno meo in Æternum, quiescite modo à laboribus vestris, in sinu divinitatis meæ. Ecce ego, Pater & Spiritus Sanctus; qui tres unum sumus unus Deus, erimus omnia, in vobis omnibus.

SEX ALÆ SPIRITUALIUM
CHRISTIANORUM.

1.  Rede in Deum, unum, trinum, Creatorem tuum: & **J E S U M - C H R I S T U M** Deum-Hominem, Salvatorem tuum.
2. Dilige Deum tuum super omnia, & proximum tuum in Deo sicut te ipsum.
3. Declina à peccato timore Dei, & fac bonum imperatum amore Dei tui.
4. Aperi os tuum in laudes Dei tui, & invoca nomen ejus in auxilium tuum.
5. Recipe Sacramenta instituta à